

De viribus deficientibus

Inter primum bellum omnium gentium etiam in illa regione Alpina pugnabatur quae "Montes Dolomiti" appellatur. Ea tempore militibus Italicis illi montes celeriter erant transeundi; ad eum finem funes ex ferro confecti per saxa praerupta sunt stricti ut milites cinctura ad eum funem vincti sine periculo saxa ascendere possent. Nunc eae "viae ferratae" aestate saepe a viatoribus optima constituone corporis fruentibus percurreuntur.

Aliquot ante annos David et ego montem quendam via ferrata quae difficilima aestimabatur ascendere constituimus. Viribus nostris confidentes primam partem viae ferratae satis celeriter percurremus. Denique ad flumen pervenimus saxis praeruptis constrictum quo funis spatio uni gradus directe supra flumen strictus est. Illa pars viae ferratae fortitudine brachiorum percurrenda erat, pedes non procul a manibus saxo ludibrio nitentes. David sine difficultatibus illud obstaculum superavit. Contra, postquam dimidiam funis percurri subita vires mihi defecerunt: manibus funem tenens spatio parvo supra flumen haesi.

Terrore capta Davidem appellavi: *David, non iam progredi possum. Quid faciam? Nisi mihi auxilium feras, in flumen cadam!*

David me aspiciens gavisus est: *Optime - aspectus tui supra flumen haerentis est pulcherrimus. Ne moveas quaeso ut photographema excipiam.*

- *Non intellegis? Movere non possum! Mox in flumen cadam - adiuvas me!*

- *Exspecta ut photographema faciam.*

Desperans manibus funem complector dum umeri tumidi spasmis aguntur et David photographema excipit. Denique doloribus victa in flumen salio me toto corpore aqua submersuram iri exspectans. David cachinnum tollit cum me obstupefactam in flumen stantem aspiciat: flumine paulo plus unum cubitum alto tantum pedes aqua tanguntur.

